Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1045
Quelle:
Copyright:

audite magnum miraculum quod fecit deus per ſanctiſſimum martirem ſuum georgium &c. Et quale illud? E Graeculorum videlicet officina de Filia Imperatoris *Leuiſii* in civitate *liſia* a Dracone, qui jam omnis populi filios devoraverat, liberata, cujus exemplum graecum invenere *Bollandiani* in Bibl. *Ambroſiana*, et explodunt T. III. *Apr.* p. 104. ut commentum Sec. primum XI. Occidenti illatum, et divulgatum a Pictoribus.

X. *fol.* 174. p. 2. *Incipit prologus de obitu beati Nicolaij archiepiſcopi. Legitur die depoſitionis eius.* Initium: *Quoniam quidem kariſſimi fratres. bonę memorię iohannes ſubdiaconus ſanctę parthenopenſis eccleſię. qui uitam ſancti patris nikolai interpretatus eſt manifeſtat. non ſe potuiſſe inuenire obitum eius propterea intermiſiſſet. Et non eſt mirum. cum in italia interpretatus eſſet. Vnde ego infimus iohannes presbiter et monachus. cum in urbe conſtantinopolitana manerem. ſancti patris ductus amore. queſiui et inueni. et non in qualibuſcunque ſcidulis. ſed in archiuis et emendatis codicibus. Et ſecundum tenuitatem ſenſus mei. interpretatus ſum ut potui.* &c. Ni fallor, prior ille *Johannes* eſt biographus ille circa an. 903. cujus Scripta ſub uno conſpectu ponit *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. IX. p. 68. quamvis inter ea non cenſeatur *Nicolai Myrenſis* Vita; alter vero *infimus Johannes presbyter et monachus* erit is, cujus Librum *de Miraculis* mſ. vidit in Bibl. Coenobii *Benedictoburani Bern. Pezius* hoc Prologi initio: *Saepe hortatus es Nobiliſſime vir atque clariſſime Conſul Domine Pantalee me infirmum Johannem omnium Monachorum ſacerdotumque ultimum, ut aliqua, quae in libris ſeu in hiſtoriis Graecorum inveniuntur, quæ in latinis non ſunt, in latinam converterem linguam.* Nam narrato *Nicolai* beato obitu ſtatim *tria* refert miracula, primum de Daemone ſub feminae ſpecie oleum ad *Nicolai* ſepulcrum per Nautas mittente, alterum de liquore ex ejus ſepulcro non amplius manante, dum *Magnentius* quidam Epiſcopum *Myrenſem* ſede ſua propuliſſet, tertium denique de Puero a *Saracenis* capto parentibus ſuis reſtituto, quae omnia forſan in illo *de Miraculis* Libro habentur. Incipit Narratio ipſa: *Sermo quidem fratres antiquitus ſcriptus atque firmatus qui usque ad nos ueraci relatione pertinxit. qualia fuerint inſignia beatiſſimi patris nikolai* &c. quae utrum graece etiamnum extet, ignoro; *Bollandianorum* etenim *pendent opera interrupta*, neque ad manum ſunt *Nic. Carm. Falconii Acta primigenia Thaumaturgi Nicolai* edita *Neap.* 1751. f.

XI. *fol.* ſuo loco moto et ſignato 203. pro 179. p. 2. *Incipit uita uel paſſio Sancte berinis* (Irenes) *uirginis et martiris. celebratur quinta die intrante menſe magio.* Prologus ita infit: *Johannes omnium monachorum ſacerdotumque ultimus — Cum quadam die iſſem in domum nobiliſſimi uiri domini lupini. filij domini Sergij cogno-*